



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

X. Quod ab iis qui ad religionem transire voluerint, non debet aliqua pecunia exigi: nec prioratus vel capellania annua distractione vendi: nec ab eo, cui regimen ecclesiaru[m] committitur, pro ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. X.

Idem in Concilio Turonensi.

Quia non satis vtiliter avaritia in populo redarguitur, si ab his qui in clero constituti videntur, & præcipue contempto sæculo religiosorum nomen profitentur & regulas, modis omnibus non cauetur: prohibemus, ne ab eis qui ad religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur: neve prioratus vel capellania qualibet monachorum vel clericorum annua districtione vendatur: neque ab eo cui regimen ipsarum committitur, ex earum commissione precium exigant. Hoc simoniacum esse, sanctorum patrum auctoritas manifeste declarat. Vnde quisquis hoc de cetero attentare præsumpserit, tam qui dederit, quam qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quidem & chrisimatis & olei perceptione, nulla alicuius precii exactio intendatur, neque sub obtentu huius consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia diurnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

Diurni-
tate tempo-
ris non mi-
nuit pecca-
tum.

CAP. XI.

*Idem * Cotronensi episcopo, & abbati Cestrensi.*

Mandamus vt ex nostra parte & vestra R. archidiacono Cestrensi prohibeatur, clericos siue laicos, qui pro suis excessibus puniendi sunt, pœna pecuniaria mulctare, siue * in examinatione ignis vel aquæ a quolibet viro vel muliere pecuniam extorquere præsumat, aut pro annua & debita exactione pecuniæ personas suspendere vel ecclesias interdiceret: neque ad ecclesias sui archidiaconatus visitandas, nisi semel in anno, accedat: nisi forte talis causa emerferit, propter quam ipsum oporteat ecclesias sæpius visitare: & tunc cum ea moderantia hominum & equitatarum, quod qui in eis morantur, exinde non debeant merito querulari. Si autem contra inhibitionem talem venire præsumpserit, ecclesiastica seueritate percellatis, omni occasione & appellatione cessante, & sententiam ipsam, vsque ad dignam satisfactionem faciatis intuiolabiliter obseruari, ita quod in vos & in illos hic non cogamur durius vindicare.

Sff ij